Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 955
Quelle:
Copyright:

nostris exigentibus &c. extatque itidem apud *Labb.* T. X. *col.* 371. III. *Testimonium* de Familiaribus S. *Gregorii*, atque inter eos *Paterio*, depromtum e *vita Gregorii* per *Johannem Diac.* scripta L. II. c. 11. hoc initio: *Prudentissimus Rector Gregorius* &c. et fine: *paterium eque notarium qui ab eo secundicerius factus ex libris ipsius utilissima* (Edit. Paris. 1705. *utillima* legit) *deflorauit.* Adjecit Librarius noster: *que in hoc libro scripta sunt.*

Itaque: *Incipiunt capitula testimoniorum veteris testamenti.* Eadem ut plurimum cum impressis, sed hic tantum in *Genesin.* Post *Elenchum* hunc: *Incipit Prologus Paterii. Dum Beatissimi atque apostolici Gregorii pontificis nostri uestri quoque ad deum* (Paris. *addam*) *nutritoris dicta sepius lectione percurrerem* &c. Non multo ante finem plenius ac melius legit Noster: *et in quibusdam sicut res expetiit typice. in quibusdam moraliter. in quibusdam etiam hystorice*, quam Parisina. Post Prologum litera miniata sequitur: *In nomine sancte trinitatis incipit liber testimoniorum ueteris testamenti quem paterius de opusculis sancti Gregorii papę urbis rome cum summo studio excerpere curauit.* Contentione instituta cum praedicta *Editione Paris.* cujus T. IV. Opus nostrum habetur, speciminis loco quaedam monere visum est. C. IV. verba ultima *Paris. arborem protectionis adhibeat*, nobis *ferat.* C. XV. in nostro, ut in pluribus Mss. deest. C. XIX. nobis XVIII. melius terminatur a nostro: *disceret quid elatus amisisset.* C. LII. brevissimum noster omittit, ut alii Codices. C. LXVI. nobis LXIV. pro: *Vigilanti etenim corde dormit, qui* &c. noster habet: *Uigilanti etenim corde corpus dormit, quia* &c. C. *seq.* initio haec verba absunt a nostro: *Jacob qui angelum tenuit, uno pede mox claudicavit.* C. LXXIV. aliquot linearum cum aliis Mss. pariter non agnoscit noster.

A. *Fol.* 37. p. 2. *Incipiunt capitula libri exodi.* Praemittuntur argumenta *Capp.* LVII. cum *Parisina* LXII. censeat. Itaque subito deest C. III. quod *Mauriani* a suis quoque Mss. abesse testantur. Initio C. VII. nobis VI. pro *de administrato per angelum ministerio* legimus *de ministratione per angelorum ministeria.* C. XI. rursus abest a nostro et aliis Codd. Similiter et C. XVII. paucarum linearum. Vocem *praemissum*, quae initio C. XIX. in impressis occurrit, delevit noster. C. XX. nobis XVII. melius cum nostro sic finies: *in oblatione dei primogenitum asini ove mutavit.* Initium C. seq. *Dum de dispensatoria mutatione noviter ex interno moderamine ad conversionem venientium tractaretur* &c. fortasse malis cum nostro legere: *Dum de interno moderamine de dispensatoria inuitatione noviter* &c. C. XLII. a nostro, et *Mauranorum Codd.* abest. C. XLVIII. nobis XLIV. impressi habent hanc clausulam: *Sancti itaque Apostoli*